

QUID IN MENSIS?

(Pind. *Ol.* 1,50)

Locorum Pindaricorum omnium, ad quos explicandos ingenium doctrinaque grammaticorum nihil prorsus valuit, hunc sane inter obscurissimos inueniemus.

Editores recentiores nodum praetermittere voluerunt:

v. 50 τραπεζασι τ' ἀμφὶ δέυτατα κρεῶν
 σέθεν διεδάσαντο καὶ φάγον.

50 τ' om. D : δ' Athen. 641C ἀμφὶ δέυτατα ACV^{pc} : ἀμφιδέυτατα DE :
 ἀμφιδεύματα V^{ac} : ἀμφὶ δέυματα W : ἀμφιδευρα Athen 641C

Sic enim legunt O. Schroeder,¹ L.R. Farnell,² J. Sandys,³ C.M. Bowra⁴ (cuius apparatus supra trascripsimus), A. Turyn,⁵ A. Puech,⁶ M. Fernandez-Galiano,⁷ B. Snell et H. Maehler.⁸ At lector, qui versus attentius intueatur, minime ante δέυτατα istud haud obstupescere poterit.

Ratione et via perscrutemur, qua percipiendi vi, qui Pindarum ediderunt, ipsum restituerint. Editio princeps⁹ eundem habet textum, quem supra dedimus. Z. Calergius¹⁰ legit ἀμφιδέυτατα, itidem I. Ceperinus.¹¹ Quod si G. Morelius¹² consequitur Aldum, I. Lonicerus¹³ malit rursus ἀμφιδέυτατα. Confirmat ἀμφὶ δέυτατα H. Stephanus.¹⁴ Ex editionibus saeculo septimo decimo prolatis dignas tantum memoramus, quae sunt cum I. Benedicti,¹⁵ qui parum fidenter Stephanum tamen videtur fulcire, tum etiam N. Sudorii,¹⁶ qui nova scilicet ratione ἀμφιδέυτατα praefert. Eos, qui Pindari carmina saeculo duodevicesimo vulgaverunt, haud nominatim appellamus praeter C.G. Heyne, qui primum¹⁷ exārat ἀμφιδέυτατα, dein¹⁸ ἀμφὶ δέυτατα disputat. Priore saeculo imminuit A. Boeckh¹⁹ superiorum auctoritatem: nam quod improbaverant illi,

¹ *Pindari carmina*, rec. O. Schroeder, Lipsiae et Berolini 1923 (editio maior); v. etiam *Pindari carmina cum fragmentis selectis*, tertium ed. O. Schroeder, Lipsiae 1930.

² L.R. Farnell, *The Works of Pindar*, 3 voll., London 1930-1932.

³ *The Odes of Pindar including the Principal Fragments*, with an intr. and an English transl. by J. Sandys, London-Cambridge³ 1937.

⁴ *Pindari carmina cum fragmentis*, recognovit brevique adn. crit. instruxit C.M. Bowra, Oxonii² 1947.

⁵ *Pindari carmina cum fragmentis*, ed. A. Turyn, Oxonii² 1952.

⁶ *Pindare, Olympiques*, texte établi et traduit par A. Puech, Paris³ 1949.

⁷ *Pindaro, Olimpicas*, texto introducción y notas de M. Fernandez-Galiano, segunda edición revisada, Madrid 1956.

⁸ *Pindarus, Epinicia*, post. B. Snell ed. H. Maehler, Lipsiae 1971.

⁹ A. Manutius, *Πινδάρου Ὀλύμπια...*, Venetiis 1513.

¹⁰ Z. Calergis, *Πινδάρου Ὀλύμπια...*, Romae 1515.

¹¹ I. Ceperinus, *Pindari Olympia...*, Basileae 1526.

¹² W. Morel, *Pindari Olympia...*, Parisiis 1558.

¹³ *Pindari poetae vetustissimi... Olympia... per I. Lonicerum latinitate donata*, Tiguri 1560.

¹⁴ H. Stephanus, *Pindari Olympia...*, Parisiis² 1566.

¹⁵ I. Benedictus, *Πινδάρου Περίοδος*, Salmurii 1620.

¹⁶ N. Sudorius, *Pindari Olympia...*, Oxonii 1697.

¹⁷ *Pindari carmina cum lectionis varietate*, curavit C.G. Heyne, Gottingae 1773.

¹⁸ *Pindari carmina cum lectionis varietate et adnotationibus*, iterum curavit C.G. Heyne, 3 voll., Gottingae 1798.

¹⁹ A. Boeckh, *Pindari Opera quae supersunt*, 2 voll., Lipsiae 1811-1821.

ipse recipit hoc, δέματα scilicet. Machinatur porro δευτὰ τὰ J.F. Boissonade.²⁰ L. Dissen²¹ Augusto Boeckh patrocinatur. T. Mommsen²² cum ἀμφὶ non δέματα, τραπέζισι enim coniungit. Ad ἀμφὶ δέματα B.L. Gildersleeve²³ revertitur. Postremo codicis V^{ac} lectionem sumit W. Christ.²⁴

Nunc demum videamus num doctissimi isti viri ex amentibus interpretationibus omnes evaserint incolumes. I. Lonicerus²⁵ scholiis fretus recentioribus ἀμφιδέματα κρεῶν verbis minutissimas carnis tuae particulas convertit, praefert extremitates in δέματα voce Latine reddenda H. Stephanus. In notis ad textum explicandum adiectis Athenaeum commemorans²⁶ J. Benedictus: «Quod – inquit – si hunc [scil. Athenaeum] sequamur, τὸ, ἀμφὶ δέματα exponemus, circa mensas secundas, h.e. circa convivii exitum». Eadem N. Sudorius in commentario, qui autem ἀμφιδέματα frustra vult significare. At A. Boeckh, cum lectionem codicum ACV^{pc}DE nec non scholiorum explicationes vetustiorum recentiorumque una cum Athenaei testimonio sincera abdicat,²⁷ textum recipit codicum V^{ac}W: nam «ipsae mensae secundae – inquit – non possunt proprie dici δέματα neque ὕστατα, sed tantum δεύτεραι τράπεζαι»; quod si δέματα sunt extremae partes, «quid tum κρεῶν? Pro quo desidero σώματος sive χροός, corporis extrema, non carniūm»; falsam quoque dicit emendationem J. De Pawii,²⁸ quia «in hac coniectura tum vox ἀμφιδέματα omni caret auctoritate, tum articulus non habet quo defendatur»; inde restituit δέματα κρεῶν, quae «sunt carnes embammate sive iusculo imbutae». Haec omnia defendit L. Dissen.²⁹ Anglice δέματα reddit B.L. Gildersleeve *the last morsels*.³⁰ Rursus defenditur ab O. Schroeder quod explicatum invenimus apud Athenaeum, «qui sententiam loci unus omnium rectissime videtur perspexisse»;³¹ haud dissimiliter L.R. Farnell,³² J. Sandys,³³ A. Puech,³⁴ M. Fernandez-Galiano.³⁵ Quem animorum consensum U. von Wilamowitz-Moellendorf, philologorum omnium longe clarissimus, sua, ut opinamur, effecit auctoritate: haud enim gravate ἀμφὶ δέματα als letztem Gang interpretatur.³⁶ Apud Pindarum recens denuo translatum legimus als Nach-

²⁰ *Pindarus*, curante J.F. Boissonade, Parisiis 1825.

²¹ L. Dissen, *Pindari carmina quae supersunt cum deperditorum fragmentis selectis ex recensione Boeckhii*, 2 voll., editio altera curavit F.G. Schneidewin, Gothae 1843.

²² C.J.T. Mommsen, *Pindari carmina*, Berolini 1864.

²³ Pindar, *The Olympian and Pythian Odes*, with an introductory essay, notes and indexes by B.L. Gildersleeve, New York 1890.

²⁴ *Pindari carmina cum deperditorum fragmentis selectis*, iterum recognovit W. Christ, Lipsiae 1896.

²⁵ His verbis locum explicat: «δέματα, superlativum a δεύτερος, id est ὕστατα, metaphorice pro μικρότατα usurpatur hic: in divisione enim victimae, quod postremum, ultimum est»; verum enimvero scholiasta contortissimis notationibus probare vult ἀμφιδέματα ad extremum frustulum significare. I. Lonicerus igitur, qui scholiastae verba minime intellegit, vehementer errat. Posterius etiam A. Boeckh scholia recentiora nulla mente complectetur.

²⁶ Δειπνοσοφισταί 14,641C.

²⁷ Cf. locos, quorum mentionem, in parte secunda tomi prioris, p. 346 sqq.

²⁸ Cf. J. De Paw, *Notae in Pindari Olympia, Pythia, Nemea, Isthmia*, Traiecti ad Rhenum 1747, ubi ἀμφιδέματα τὰ κτλ. lebēti immersa translatum reperimus.

²⁹ *Op. adl.*, sectio 2., p. 17.

³⁰ *Op. adl.*, p. 133.

³¹ Cf. editionem a. 1923 prolatam, p. 84 sq.

³² *Op. adl.*, vol. II, p. 7.

³³ *Op. adl.*, p. 9.

³⁴ *Op. adl.*, t. I, p. 29.

³⁵ *Op. adl.*, p. 116.

³⁶ Cf. U. von Wilamowitz-Moellendorf, *Pindaros*, Berlin 1922, p. 236, adn. 2.

speise.³⁷ Memoramus deinde quod. H. Jurenka³⁸ furore et amentia impulsus proposuit: *τραπέζαισι τ' ἀμφὶ δεύτατα κρέ' ὡς κτλ.*

Pergamus nunc ad caput rei. At antequam observationes nostras in ἀμφὶ δεύτατα illustremus, necesse est nobis verba nonnulla consumere in *τραπέζαισι* voce, qui locativus, etiamsi molestus videatur, minime prorsus adiungemus ἀμφὶ praepositioni: Pindarus enim tribus in locis praepositionem ἀμφὶ accusativam adhibet vocemque *τράπεζα* in singulari numero.³⁹ Apud Homerum ipsum locativus, non autem in plurali, *τραπέζῃ* reperitur,⁴⁰ attamen minime cum nostro *τραπέζαισι* comparandus est; quae locutio a communi more verborum poetae tam discedit nec non plurali numero adeo deformatur, ut, si solum ironice versus illos interpretemur, ei vim aliquam tribui liceat.

Agedum contextui inhaerentior reperiatur explanatio. Subiectum verbi *διεδάσαντο*, verum est, patet, sed utrum est obiectum, *σέθεν* an *κρεῶν*? Cum pronomen *σέθεν* apud Pindarum vel ante vel post substantivum quocum est coniunctum stat,⁴¹ vocabulorum collocatio nihil docet; sine vero ulla dubitatione locutio *κρεῶν... διεδάσαντο* pulchrior quam *σέθεν διεδάσαντο* aestimanda.⁴² Hinc editores omnes secernunt *κρεῶν σέθεν διεδάσαντο*.⁴³ Numne, quaesumus, certissimi sumus verbo ipso *διεδάσαντο* pendere vocabulum *κρεῶν*? Nullo modo prorsus.

Sed ad ἀμφὶ δεύτατα redeamus. Explanatores omnes nostra aetate in verbis Athenaei nixos, cum vocabulum *τεύτατα* *extremitates* declarans respissent,⁴⁴ locutionem ἀμφὶ δεύτατα *circa mensas secundas* valere voluisse nuper vidimus. Attamen de singulis quae opponuntur meditemur: primum a scholiis veteribus secundae mensae non designantur; deinde locus noster ad illum comparatus, in quo Pindarus ipse de mensis secundis aperte loquitur,⁴⁵ poetico quodam afflatu caret omnino; postremo nullis ex locis, quos Athenaeus affert, ne vix quidem efficitur quamvis carnem bellariorum vice appōni posse.⁴⁶ Ergo Athenaeum poetae verba recte intellexisse, credere vix possumus. Verum etiam *δέυματα* reicimus; quod verbum, si nomen est rei actae a *δέω* deductum, idem valet quod *ἄρδευσις*: inde “dei super mensis irrigationes tuas devorarunt” (edepol, quid dicimus!); si contra rem aliquam indicat, quidne sunt *δέυματα* Pelopis ista, quae natura irrigationibus sunt praedita? De fumo eamus ad flammam: *δευτὰ τὰ κρεῶν σέθεν διεδάσαντο*, i.e. “(hospites) dispertiti sunt carnes demersas”... minime! Fortasse “dispertiti sunt carnes tantum quas intriverant”... ne sic quidem. Hoc loco lectori veniam petimus: *δευτὰ τὰ κτλ.* non intellegimus, atque nos ita statuimus Graecum non esse.

³⁷ Cf. Pindar, *Siegesgesänge und Fragmente*, griechisch und deutsch hrsg. und übers. v. O. Werner, München 1967, p. 13.

³⁸ Cf. H. Jurenka, *Textkritisches zur ersten olympischen Ode des Pindar*, “Wiener Studien” XV (1893), pp. 152-155.

³⁹ Cf. *Ol.* 1,17, *Isthm.* 2,40. fr. 177 [Bowra], ubi ἀμφὶ τράπεζαν invenies.

⁴⁰ Cf. Hom., *Il.* 24,625s.: *Ἄυτομέδων δ' ἄρα σίτον ἑλών ἐπένειμε τραπεζῇ / καλοῖς ἐν κανέοισιν*, v. etiam 9,216.

⁴¹ Cf. *Ol.* 5,19; 8,45, ubi σέθεν substantivum ad quod respicit sequitur, nec non *Ol.* 6,81, *Ne.* 3,5, *Is.* 7,15 etc., in quibus antegreditur.

⁴² Cf. genetivum hunc cum Xen., *Cyr.* 1,3,7.

⁴³ Congestus genetivorum est commenticius: nam Graeci et veteres et novi multum et saepe ad possessionem declarandam genetivum pronominis personalis adhibent.

⁴⁴ Quod ad *τεύτατος* attinet v. apud H. Frisk, *Griechisches Etymologisches Wörterbuch*, vol. I, Heidelberg 1960, p. 372. Cf. quoque Hom. *Il.* 19,51, *Od.* 1,286; 23,342, [Mosch.] 4,65, quibus ex locis solute deprehendimus huius vocabuli vim *extremitates* esse non posse. Neque in illis conviviis corporis partes tantum extremas edi solere traditur (cf. Hdt. 1,119).

⁴⁵ Fr. 111 [Bowra]: *δείπνου δὲ λήγοντος γλυκὴ τραγάλιον καίπερ πεδ' ἄφθονον βοράν*.

⁴⁶ Si lector *Deipnosophistarum* pp. 640f-642d legerit attente, facile intelleget locutionem *δευτεραι τράπεζαι* non proprie tempus alterum convivii, immo genus ciborum circumscriptum significare.

Discordia codicum (δέυτατα ACV^{pc}DE, δέυματα V^{ac}W) suspicionem infert lectionem esse corruptam. Quod si addimus Athenaei in codice A obscurum -δευρα nos legere posse, suspicio ingravescit.⁴⁷ Quomodo verba ipsius poetae representabimus? Post diphthongum -ευ- -τατα vel -ματα in codicibus habemus, -ρα apud Athenaeum: varietas exituum ut caput verbi δευ- certum sit adducit, censemus vero falsam litteram Υ, quae nostra sententia a littera Ρ cum ocello sursum aperto orta est.⁴⁸ Hinc fingimus δερ- cum -τατα vel -ματα coniunctum: en tibi δέργματα. Qui transcribendi causa Pindari textum legit, in Γ littera Τ videns δέυτατα scripsit, unde posthaec, abstrusa ea voce repulsa, et δέυτατα et δέυματα. Lectio codicis Athenaei potius quam δέυτερα significat scribam ΔΕΥ^PΤΜΑΤΑ legentem de verborum comprehensione cessisse.

Δέργματα autem haud omnino fidem facit, sensum nostrum nullum implet, uno verbo nobis non persuadet; atque tamen corruptio iter, ut ita dicamus, quod supra demonstravimus, verisimiliter est emensa: utinam Pindarus nunc e manibus non excīdat. Quidne igitur? Aliquis, qui textum iam perverse exaratum indiligentius inspexit, litteram Ε pro Α legit: non inde δέργματα, sed δάργματα, id est δ' άργματα.

Apud Homerum, *Od.* 14, Eumaeus, quem poeta cum Odysseo loquentem inducit, cum hostiam parasset, (v. 434) τὰ μὲν ἔπαχα πάντα διμοιρᾶτο δαίρων, ac (v. 436) νεῖμεν ἐκάστω; porro, cum Odysseum ad edendum ipse sollicitasset, (v. 446) ἦ ῥα καὶ ἄργματα θῶσε θεοῖς αἰειγενέτησι, id est *dixit et primitias sacrificavit deis sempiternis*. Quo ex loco ad aerem plane dissimilem germana cum ironia fingendum Pindarus ἄργματα deduxit.⁴⁹ Adde quod ἀμφί pro adverbio usurpatur, ut alibi.⁵⁰

Textum denique sic restituimus atque interpretamur:

(ἔννεπε... τις) ...

μαχαίρα τάμον κατὰ μέλη
τραπέλαισί τ' ἀμφὶ δ' ἄργματα κρεῶν
σέθεν διεδάσαντο καὶ φάγον.

(dixit... aliquis) ...

*cultro dissecuisse membratim
atque in mensis circum primitias carniū
tuarum esse dispertitos et comedisse.*

FRANCUS ALOISIUS ILLICERAMIUS

a. 1973

⁴⁷ G. Kaibel (Leipzig 1887-90) et C.B. Gulick (London-Cambridge 1933-41), monente I. Schweighäuser (Argentorati 1801-1805, *Animadversionum* vol. VIII, p. 508), recte putant Athenaeum δέυτερα legisse, fortasse verisimilius legere voluisse.

⁴⁸ Subicit hoc littera Ρ obscurae vocis ἀμφιδευρα, quam apud Athenaeum invenimus et ea de δέυτερα voce Naucraticen commonuit: hinc ipsae mensae secundae.

⁴⁹ Itaque minime κρεῶν sed ἄργματα obiectum est verbi διεδάσαντο, quod accusativum videtur malle, cf. enim Hdt. 8,121: διεδάσαντο τὴν λήην, id est *praedam dispertiti sunt*.

⁵⁰ Cf. *Py.* 4,81; 8,85.